



## Universitätsbibliothek Paderborn

### V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tractatus De Moribus, Amore,  
Servitio Æternæ Sapientiæ

**Družbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066375**

Cap. IV. Æterna Sapientia est Veritas & gustus: ideo rationis & voluntatis  
est bonum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45408**

O illucesce nobis aliquando, ut cognoscamus te, & ea-  
vus ad te, per te, maneamusque apud te.

## C A P U T IV.

*Eterna Sapientia est Veritas & Gustus: ideo  
Rationis & Voluntatis est bonum.*

10.

**O**culus lucem quærit, ratio veritatem, & vo-  
luntas boni saporem appetit. Lux seipsa vi-  
sibilis est, Veritas per se intelligibilis, sapor per  
se gustabilis. Sapientia Veritas est, nec ea qua-  
liscunque sed possessa, hoc est cognita, habere  
enim veritatem est ipsam cognoscere. Quis au-  
tem veritatem novit? nisi qui sapit. Quis imo  
illam novit, & non sapit? Quis autem sapit, si  
saporem non sentit? Quis autem sensus iste est,  
quo sentitur sapor? non utique aliis, quām ipse  
sibi: semet enim ipso sapor sapit & sentitur, sicut  
semetipso lumen lucet & videtur. Cæterum cum  
aliud sit quod sapit, & aliud cui sapit, siquidem  
Sapientia, Sapor est cui tandem? Voluntati uti-  
que & appetitui: ejusdem enim est Saporem per-  
cipere, cuius & appetere; alias quid appetit, si  
percipere ineptum est? Voluntati ergo sapit Sa-  
pientia, sed utique non nolenti, verū volenti.  
Volens ergo voluntas gustat Sapientiam. O fe-  
licitatem Voluntatis, suum si norit bonum! Velle  
sapere, jam sapere est: nam si non sapit, qui sa-  
pere vult, desipit ergo, quod, quis credat? Us-  
que adeo tam facile est sapere, quām facile est  
velle. Sapere vis? velis, & jam sapi.

Et cur tam pauci nihilominus sapiunt? pauci  
nimurum volunt. Heutamne grave & arduum est  
homini velle, id quod vult? Ô tortuosam Homi-

A 5

nis

nis vitam & indolem; id quod vult, non vult, & quidem volens non vult, cum tamen, (quod mirum magis) sapere vel nolens velit. Nam, nunquid ille qui non vult sapere, stulte se id, & non rationabiliter putat velle; immo Sapiens sibi in hoc videtur, quod nolit esse Sapiens: adeo si ne Sapientiam, ne insipientes quidem esse possumus. Nimurum, sicut dum contra rationem agimus, cum ratione & ex ratione agimus; & sicut dum in vitam nostram graffamur, vitam ipsa contra vitam nostram utimur: sic Sapientiam in Sapientiam armamur. Miseri non semel! qui qua operâ bono uti in bonum nostrum possemus, eadem operâ potius illomet bono in malum nostrum abutimur, vadimusque à salubri Sapientiam & amicā, ad nocentem & inimicam. Ohumana ratio quare sic irrationalis es? Ohumana voluntas cur adeo non volens es?

*Æterna Sapientia tu vince mæandros perverstatis nostræ, sinuososque hos anfractus corrigi, Veritatem te ratio sequatur & apprehendat; Saporem te voluntas capiat & sapiat. Tendant ad te animi nostri, & in te centro suo quiescant, in te bono delentur, te Vero satientur, te Vitam vivant, te uno contenti sint, te perfecto consummentur compleantur, & beatificantur.*

## C A P U T V.

*Æterna Sapientia quomodo mundi Sapientiam evacuat?*

12.

Sapientia solida est si Sapientia est. Soliditas Sapientiae Veritas est: quæ ergo Sapientia vera, hæc solida, & quæ solida hæc veræ.

At